

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm  
Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCCLXXX**

**VD18 90514300**

In Epistolam Judae Apostoli Paraphrasis Per Des. Erasmus Roterodamum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

IN  
**EPISTOLAM JUDAE APOSTOLI**  
**P A R A P H R A S I S**  
 PER  
**DES. ERASMUM ROTERODAMUM.**

*CAPUT I.*

Judas Thadaeus, Iesu Christi servus, frater Iacobi, 1  
 hanc epistolam scribo non solum Judaeis, aut profely-  
 tis, sed in commune omnibus, quos clementia Dei pa-  
 tris ultro sanctificavit, et citra legis adminiculum, ex  
 impiis pios, ex idololatris verae religionis cultores fe-  
 cit, quos in hoc ipsum divina benignitas servarat Iesu  
 Christo, ne cum caeteris abirent in barathrum aeter-  
 nae damnationis, quos eosdem nunc sua gratuita mu-  
 nificentia vocavit ad salutem evangelicam. Nihil vo-  
 bis precari queam in hac vita felicius, quam ut divina  
 bonitas sua munera semper in vobis multiplicet, mis-  
 ericordiam, pacem et caritatem. Misericordiam, ut  
 in dies magis ac magis absitis a vitae pristinae vitiis, pa-  
 cem, ut pietate vitae concordiam alatis, quam habe-  
 tis cum Deo, caritatem, ut mutua concordia sitis un-  
 animes, et alii in alios benefici. Carissimi, quoniam 2  
 evangelica caritas facit omnia communia, sive quid acci-  
 dit boni, sive quid mali, praesertim in his, quae ad aeternam  
 salutem pertinent, tantum mihi studium fuit scribendi vo- 3



bis de vestra salute, quae me non aliter habet sollicitum,  
quam si mea esset, huc videlicet extimulante fraterna ca-  
ritate, ut mihi non quiverim temperare, quin hac episto-  
la vos exhortarer, ut pro tuenda sincera fide, quae se-  
mel ab apostolis tradita est sanctis, adversus pseudapo-  
stolos decertetis. Neque solum in hoc laboravi, \*) ut  
persistatis in fide vestra, verum etiam ut aliis opitule-  
mini, ne seducantur ab impostoribus. Inaestimabilis est  
enim fidei thesaurus, eoque impensius advigilandum, ne  
4 vobis intervertatur. Quum enim vobis pure sincereque  
tradiderimus evangelicam doctrinam, sicut accepimus  
a Christo, tamen sub praetextu religionis obiter admi-  
scuerunt se quidam impii, ac ceu lupi in ovile domini  
irrepserunt, pietatis specie venditantes sese, quum ho-  
stes sint verae pietatis. Ne quid autem haec res ceu  
nova perturbet animos vestros, sic olim decretum est  
arcano Dei consilio, sic praedictum est, exorituros  
qui suis flagitiis et vestram exercerent pietatem, et sibi  
condemnationem accenserent, gratuitam beneficentiam  
Dei nostri, qua nobis semel gratis peccata condonavit,  
et a legis asperitate liberos reddidit, vertunt in occa-  
sionem lasciviae, quum illius beneficio magis invitari  
debuerint, ut innocentiam gratuito datam, piis stu-  
diis et tuerentur et ornarent, atque inflammati cari-  
tate evangelica, copiosiorem etiam atque exactiorem in-  
stitiam praestarent volentes, quam mosaica lex praes-  
cripserat. Nunc isti data libertate abutuntur ad tur-  
pitudinem ac peccandi licentiam, et ultro recidunt in  
veterem servitutem, unde suo sanguine redemerat illos  
Iesus Christus, abnegantes Deum, quem semel pro-  
fessi sunt, quum solus sit herus omnium, quae in coelo  
sunt et quae in terra, abnegantes et dominum nostrum  
Iesum Christum, qui nos sibi sacri cruoris sui pretio  
afferuit. Nihil profuerit esse redemptos, nisi perseve-  
remus in his, ad quae sumus vocati. Non opinor opus,  
5 ut vos doceam, quum nihil vos fugiat, tantum illud

\*) Aliae: *laborate*

in memoriam redigam, ne quod scitis excidat. Olim nihil profuit Hebraeis, quos Iesus typum horum temporum e dura miseraque servitute Aegyptiorum per mare rubrum traduxit in libertatem, imo quos ad se clamantes miseratus servavit, hos in deserto diffidentes et obmurmurantes Deo, denuo peius perdidit. Quod illis erat servitus Aegyptia, hoc nobis erat servitus vi-  
tiorum, quod illis erat Pharao, durus et intolerabilis dominus, hoc nobis erat diabolus, cuius tyrannidi nostris vitiis eramus obnoxii. Illi fisi Deo, per me-  
dias maris undas incolumes evaserunt in libertatem, nos credentes evangelio, per baptismum evasimus ius sata-  
nae. Sed quemadmodum ex illis quidam non eadem fide properabant ad terram promissam, quibus Dei be-  
neficium adeo nihil profuit, ut etiam verteretur in cu-  
mulum damnationis: Ita nobis nihil profuerit in ba-  
ptismo semel deposuisse peccata, nisi constantibus ani-  
mis semper proficientes ad meliora, tendamus ad ha-  
reditatem vitae coelestis. Quin et illud meminisse vos  
volo, quod ne angelis quidem profuit sic conditos es-  
se, ut divinitatis essent confortes, verum simul atque felicissimam naturam sua pravitate mutassent, neque persisterent in sua conditione, praecipites dedit e coe-  
lis, ac luce coelesti privatos, aeternis tenebris damna-  
vit apud inferos, ubi vinculis insolubilibus servantur  
in diem iudicii supremi, quo damnati meritis poenis  
addicentur. Iam Sodoma et Gomorrha, reliquaeque  
civitates his finitimae, quum omni rerum opulentia  
florerent, quoniam Dei benignitate abusi sunt ad luxum  
et libidinem, inquinantes se nefandis et abominandis turpitudinum generibus, subito ira divina extinctae  
sunt, coelesti igne consumtae, quo videlicet aliis es-  
sent exemplo, qui Christi beneficiis ad vitae turpitudi-  
nem abutuntur. Neque enim effugient similem poe-  
nam, qui similiter peccaverint. An non similiter pec-  
cant, qui delusi insomnis falsarum voluptatum, non



solum corpora sua conspuncant, verum etiam praefectos  
suos et auctoritate praeditos adspicuntur, et in eos,  
quibus ob potestatem, qua praeminent, debebant reve-  
rentiam, non verentur maledicta congerere? At Mi-  
chael archangelus, quum illi esset dilceptatio cum dia-  
bolo de corpore Mosi, tamen veritus est illi, licet tur-  
pissimo daemoni, palam dicere convitum. Sed  
quum illius impium sermonem terre non posset, mode-  
ratus est maledictum, hunc in modum, increpet, in-  
quiens, te dominus. Si Michaeli religio fuit maledi-  
cere diabolo, quanto intolerabilius faciunt, qui viris  
auctoritate dignitateque praeminentibus non verentur  
maledicere? At istorum tanta est perversitas, ut quum  
nullam habeant causam, tamen ea maledictis infecten-  
tur, quae non intelligunt. Contra adeo luxu libidine-  
que corrupti, ut in his rebus, in quibus animantia ra-  
tionis expertia probe moderateque degunt, veluti ci-  
bo, potu, coituque, in his perditissime se gerant.  
Sed vae illis, quibus continget praeium commune  
cum his, quorum scelera imitantur. Neque enim sibi  
proponunt Iesum Christum, sed Cain fraticidam, cui  
primo livor invidiae persuasit homicidium, sed Balaam  
qui corruptus quaestu, conatus est maledicere populo,  
cui benedixerat Deus, sed Chore, qui conspiratione  
facta coortus in Mosen, cum suis coniuratis horrendo  
exemplo extinctus est. Ii sunt, qui vobis pure caste-  
que viventibus, et evangelicam amplectentibus carita-  
tem, veluti maculae sunt dehonestantes gregem ve-  
strum, ac vobis ieunantibus, luxuriosis comedienti-  
bus inter se indulgentes, nec ullius reverentia metu-  
ve a turpitudinis licentia cohibentur, quidquid animo  
collubitum est, id temere sequentes. Et cum his fa-  
ctis profitentur se doctores evangelicos, ac duces ad  
veram virtutem. Verum isti nubibus similes sunt, quae  
in sublimi pendentes, quum terrae sitienti videantur  
polliceri pluviam, tamen aridae sunt, nec aquam ha-  
bent,



bent, qua telluri subveniant, sed inanibus cupiditatibus suis huc atque illuc temere circumaguntur, similes arboribus, quae sub finem autumni proditis floribus mendacem fructus spem faciunt, quum mox emarcescant, non solum infrugiferae, sed bis mortuae; qui ne ipsi vitam habeant ad evangelicam pietatem, et alios secum in perniciem trahant, neque secus deplorati, quam arbores radicitus evulsae, quibus iam nulla spes est revirescendi. Qui quum irrequieti sint ac fatiosi, semper aliquo novo tumultu turbant ecclesiae tranquillitatem, similes pervicacibus undis maris, se subinde in altum tollentibus, nec aliud interim efficiunt, nisi ut sua probra suaque dedecora aliis, quantum in ipsis est, adspergant; similes stellis, quae quum lucis specie promittant se fore (\*) duces, tamen quoniam erraticae sunt, neque constanter sequuntur quod rectum est, sed affectibus suis nunc huc, nunc illuc abducuntur, simplices et incautos inducunt in naufragium. Hae stellae, quae nunc falsa luce lese venditant apud homines, non effugient judicem Deum, etiamsi in praesentia non punit illos, sed servat eos aeternae tartari caligini. Ipsi quamquam nostris temporibus exorti sunt, tamen ne quid novi vobis accidere videatur, de his olim vaticinatus est Enoch, qui fuit ab Adam septimus, deque horum suppicio, quo sunt olim afficiendi. Loquitur enim huc in modum: Ecce venit dominus cum innumera multitudine sanctorum suorum, ut exerceat iudicium adversus omnes, et redarguat omnes ex eis, qui sunt impii, de factis omnibus, quae impie patrarunt, deque omnibus, quae dure ac ferociter loquuti sunt adversus ipsum, non solum peccatores male viventes, verum etiam impii et contumeliosi in Deum. Siquidem hi, quoniam huius vitae felicitatem corporis voluptate metiuntur, impotenter ferunt, si quid incidat afflictionis aut incommodi, neque

\* Aliae inferunt: viae



verentur obmurmurate Deo suis querimoniis, quod si  
considerit hominem, ut brevis esset aevi, ut morbis  
obnoxius, optantes hanc vitam esse quam maxime lon-  
gam, minimeque malis obnoxiam, videlicet de futura  
vita diffidentes. Haec tam sordida atque abiecta quum  
sentiant in animis suis, tamen os illorum loquitur ma-  
gnifica quaedam, ac mirabilem quamdam philosophiam  
profitetur, quum non solum abiectione serviant vo-  
luptatibus, verum etiam quaestui, quae res cum pri-  
mis vitiat doctrinam Christi. Neque enim loquuntur  
ea, quae docet evangelica veritas, sed quae blanda  
grataque sint his, unde sperant aliquid compendii, in  
17 pauperes tyranni, erga divites agunt palpones. Ho-  
rum malitia hoc minus turbabit vos, carissimi, si me-  
mineritis, id olim vobis esse praeditum ab aliis apo-  
stolis domini nostri Iesu Christi, nominatum a Paulo  
18 Petroque. Dixerunt enim vobis, extremis tempori-  
bus exoritutos illusores, qui suis pravis cupiditatibus  
vitiarent purissimam Christi doctrinam, haud quaquam  
viventes iuxta regulam evangelicam, sed iuxta affectus  
19 suos impios ac nefarios. Hos agnoscere licebit hac  
nota. Caeteris qui iuxta Christi spiritum vivunt, et  
comtemptis terrenis curant coelestia, concorditer agen-  
tibus, isti movent dissidia, eo quod animales sint, et  
observientes mundanis affectibus, ac vacui spiritu ve-  
nentur voluptates, ambiant regnum, captent lucrum.  
His rebus qui student, non sunt apti christianaæ concur-  
diae. Malunt enim turbare gregis tranquillitatem,  
20 quam in ordinem cogi. Vos autem, carissimi fratres,  
qui spirituales estis, date operam, ut magis ac magis  
ceu vivi lapides coagmentemini in structuram Dei, in-  
nitentes solido fundamento sanctissimae fidei vestrae.  
Semel vobis persuasum est, non defutura piis sua pra-  
mia, quantumvis hic affligantur, ne mercedem requi-  
ratis in hoc seculo, non defutura impiis merita suppli-  
21 cia, ne vos velitis ulcisci. Proinde puris ac spiritua-  
libus precibus iugiter implorantes opem Dei, vos invi-



cem mutua concordia, mutuaque caritate servate. Non enim audit Deus nisi concordes. Neque diffidatis, si hic pro Christo variis modis affligimini, sed expectetis Dei misericordiam, exhibendam non in hac vita, sed in vita aeterna. Vos interim modis omnibus<sup>22</sup> habita ratione personarum, date operam, ut servetis omnes, alios leniter et clementer revocantes ad meliorem mentem, alios vero metu adhibito servate, velut<sup>23</sup> ex incendio rapientes, odio habentes non homines ipsos, sed corpus hoc terrenis affectibus inquinatum, qua tunica polluta gravatur et inquinatur humanus animus. Et hoc clementius decet alienis erratis mederi, quod nemo versans in hoc corpusculo non possit inquinari. Nam<sup>24</sup> id humanarum virium non est, ne quis sibi gloriam arroget, sed omnis gloria, magnificentia, imperium ac potestas sit soli Deo servatori nostro, per Iesum Christum dominum nostrum, non solum in hoc seculo, sed ante omnia secula, et futuris seculis omnibus in aeternum. Siquidem solus Deus potest hoc praestare co[n]stantibus, ut quamquam fragili corpusculo circumdatos, undique mundus tot rebus avocet a proposito pietatis, tamen perpetuam innocentiam servetis usque in finem, ut non solum homines nihil reperiant in moribus vestris, quod reprehendant, verum etiam tales statuamini in conspectu maiestatis Dei, ut illi nihil in vobis displiceat, qui videt intimos mentum recessus. Quod quum fiet, exultabitis et gaudebitis in adventu<sup>25</sup> domini nostri Iesu, moerentibus aliis, qui interim vindentur suaviter vivere. Quod ut fiat, votis omnibus comprecandum est.

PARAPHRASEOS  
IN EPISTOLAM JUDAE  
FINIS

---

---

Ggg 2

RE-



REVERENDISSIMO  
**D O M I N O D. M A T T H A E O**  
**C A R D I N A L I S E D U N E N S I C O M I T I V A L E S I I**  
**D E S. E R A S M U S R O T E R O D A M U S**

S. D.

**J**Am videbar ad huius curriculi metam pervenisse, et ipse mihi ferias destinabam in hoc duntaxat genere studiorum, propterea quod omnes epistolas explicuisse, quas Pauli germanas esse iudicabam, quibus adiunxi Petri duas et Judae unam, quod hae non solum consentirent cum Paulinis in vigore doctrinae evangelicae, verum maioribus etiam tenebris, quam illae, essent involutae. Siquidem quae fertur ad Hebreos, praeterquam quod multis argumentis coniici potest, non esse Pauli, quum stilo rhetorico verius, quam apostolico sit scripta, non perinde multum habet difficultatis, quemadmodum nec eae, quae Iacobo Ioannique tribuntur. Nam Ioannes ipsa sermonis copia veluti sui ipfius interpres est, et Iacobus fere versatur in locis communibus; quod genus sunt, ob Christum fortiter tolerandas res adversas, et in his Dei praesidiis maxime nitendum, homines non naturae Deive viatio, sed suapte culpa fieri malos, siue saeviat fortuna, siue blan-